

haec condicio non requiritur. Igitur qui fidelibus imponunt scapularia pro quibus simul certae confraternitati adscribendi sunt, tenentur ad eorum nomina in albo confraternitatis loci vel, hac deficiente, loci vicinioris adscribenda. Id hodie, revocata contraria concessione, etiam pro iis qui scapulare Montis Carmeli acceperint, servandum est ex rescripto S. C. Ind. 27 Apr. 1887. (Bering. II. p. 62)

2° Pro omnibus scapularibus, ad lucrandas indulgentias necesse est ut prima vice scapulare benedictum fuerit et singulis fidelibus impositum a sacerdote qui ad istud dandum legitimam facultatem acceperit. Quandoque tamen indulgetur ut ipsi fideles scapulare sibi imponere possint: insuper, sacerdos qui facultatem scapularis imponendi, absque personarum restrictione, accepit, istud sibi ipsi imponere potest. (S. C. Ind. 7 Mart. 1840) Ubi scapulari primum recepto alterum substituendum est, non est opus ut istud sit benedictum: quae regula hodie valet etiam de scapulari SS. Trinitatis, quod antea ab eadem excipiebatur. (S. C. Ind. 24 Aug. 1895; N. R. Th t. 28. p. 97)

3° Insuper ad lucrandas indulgentias necesse est ut fideles parvum habitum semper deferant e collo pendentem, unaque sui parte collum, altera scapulas contegentem. (S. C. Ind. 12 Febr. 1840) Attamen, si ad breve tempus, puta ad se lavandum, scapulare exiit, indulgentiae perseverant; eadem suspenduntur, si ad longius tempus deponatur, sed iterum lucriferi possunt si semel legitime adscriptus scapulare resumpserit. (S. C. Ind. 27 Maii 1857) Nova tamen habitus receptio videtur necessaria, si quis ex contemptu scapulare projecisset atque ita seipsum a confraternitate separasset. (Bering. I. p. 400)

4° Ad lucrandas speciales indulgentias insuper specialia opera sunt peragenda: quae tamen omnes scapulare gerentes minime adstringunt.

5° Plura scapularia simul imponi possunt ab iis qui eam facultatem acceperint, sed, ex decreto S. C. Ind. 27 Apr. 1887, jam non licet induere fideles scapulari Carmelitico commixtim cum aliis scapularibus. Hoc tamen decreto non vetatur quominus istud scapulare Carmeliticum, sive ante, sive post benedictionem et impositionem, de facto commixtum sit cum aliis scapularibus, sed praecipitur tantum peculiaris benedictio et impositio hujus scapularis. (S. C. Ind. 11 Martii 1897) Qua ratione conjungenda sint scapularia quae simul deferantur, accurate describit Beringer, I. p. 402.

6° Ut quis privilegio Sabbatino fruatur, quaedam specialiter ab eo sunt praestanda: vid. ut castitatem secundum suum statum servet; deinde, si legere scit, cotidie recitare debet parvum Officium B. M. V.; si legere nescit, debet non tantum jejunare diebus ab Ecclesia praescriptis, sed abstinentiam servare feria quarta, feria sexta et sabbato,

excepta die Nativitatis D. N. J. C. Huic conditioni satisfaciunt clerici vel religiosi Officio Canonico quod ex obligatione recitant. (S. C. Ind. 18 Aug. 1868) Ob justam causam confessarius, specialem habens facultatem, in aliud opus pium commutare potest obligationem recitandi parvi Officii B. M. V. vel abstinentiae servandae. Verum adverte hanc specialem facultatem non contineri in potestate benedicendi et imponendi scapularia Montis Carmeli, eam tamen in indultis Romanis hodie semper concedi. (1)

410. IV. Benedictio Papalis in articulo mortis.

1° Hoc nomine venit indulgentia plenaria quam R. P. per se vel per delegatum moribundis impertitur. Quo facilius fideles omnes hoc salubri subsidio juventur, statuit Bened. XIV (Const. *Pia Mater*, 5 Apr. 1747), facultatem hujusmodi indulgentiam moribundis tribuendi concedendam esse omnibus episcopis eam postulantibus pro toto tempore quo dioecesim suam recturi sint, adjecta facultate subdelegandi. Episcopus autem, sive ore tenus, sive (quod consultius est) scripto singulis tradito, subdelegare potest tot sacerdotes quot pro numero animarum necessarios esse prudenter judicaverit. (S. C. Ind. 5 Nov. 1878) Haec indulgentia confundenda non est cum indulgentia plenaria quam quis in articulo mortis, absque ullo sacerdotis interventu, lucrari possit, ex. gr. ob numisma indulgentiis apostolicis ditatum.

2° Qui facultatem Benedictionis Papalis impertiendae obtinuerint, eam tribuere debent morituris omnibus, quibus, saltem sub condicione, dari potest absolutio sacramentalis (n. 298), etiam pueris qui nondum ad S. Communionem accesserunt vel capite damnatis. (Bering. I. p. 511) Solet autem impertiri post sacramenta poenitentiae, Eucharistiae et extremae unctionis. Neque exspectandum est periculum mortis imminens, sed dari potest omnibus fidelibus in mortis periculo constitutis, (S. C. Ind. 18 Dec. 1885; Act. S. S. t. 18. p. 414) Igitur, quotienscumque licet dare Viaticum, licet quoque Benedictionem Papalem impertire. Indulgentiam tamen non consequuntur fideles nisi in vero mortis articulo (S. C. Ind. 23 Apr. 1675): cujus rei ratio manifesta est ex ipso fine quem R. P. in hac indulgentia concedenda intendit, vid. providendi fidelibus in eo praecise momento a quo eorum aeterna salus potissimum pendet. Ideo frustra et illicite iteraretur Benedictio Apostolica aegroto in eadem infirmitate quamvis diuturna, etiamsi pluries periculum mortis redit ac propterea iterari potest extrema unctio; iterare tamen licet, si

(1) In Soc. Jesu, quamvis facilius scapularia imponendi facultas communicetur, singuli ad Praepositum Generalem recurrere debent ut privilegii Sabbatini obligationes commutare valeant. (Comp. Priv. n. 489)

infirmus convaluerit ac deinde quacumque de causa in novum mortis periculum redeat. (S. C. Ind. 20 Jun. 1836 et 12 Febr. 1842) Neque eandem iterare licet eo quod aegrotus eam in statu peccati mortalis receperit, vel, ea recepta, in peccatum mortale inciderit, vel ad eam accipiendam ex pluribus titulis, puta confraternitatis Rosarii vel Scapularis, jus habuerit, etc.

3^o Condiciones adimplendae ab aegroto, qui suae mentis compos est, ad hanc plenariam indulgentiam lucranda, sunt: 1^o Mortem aequo ac libenti animo de manu Domini suscipere: quae praecipua omnium est, ut declarat Bened. XIV. (Const. *Pia Mater*) — 2^o Invocatio, saltem mentalis, SS. Nominis Jesu. (S. C. Ind. 23 Sept. 1775) Insuper, ex Const. cit. Bened. XIV, nempe e verbis quibus S. C. Ind. facultatem dandae Benedictionis papalis largiri solet: "corde, si ore nequiverint.": sacerdos aegrotum, quo *certius* indulgentiae fructum consequi valeat, omni ratione excitare debet "ad novos de admissis peccatis doloris actus eliciendos concipiendosque ferventissimae in Deum caritatis affectus." Tandem, saltem e formulis quibus hodie a S. Sede concedi solet facultas Apostolicam Benedictionem impertiendi, videtur omnino necessarium ut morituri, si possint, sacramenta poenitentiae et Eucharistiae acceperint (Bering. I. p. 513); si nequeant, sufficit status gratiae.

4^o In danda Benedictione Papali, sub poena nullitatis, adhibendus est ritus a Bened. XIV (Const. cit.) approbatus et Rit. Rom. insertus, Si tamen mors proxime urget vel contagii periculum timetur, sufficit adhibere hanc formulam: "Indulgentiam plenariam et remissionem omnium peccatorum tibi concedo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen." (Bering. I. p. 515)

§ 3. DE JUBILAEO.

411. I. Jubilaeum dicitur indulgentia quaedam plenaria cum variis favoribus spiritualibus a R. P. concedi solita. Est autem duplex: *ordinarium*, quod integro anno durat et, more jam ab an. 1475 recepto, vigesimo quinto quoque anno recurrit; *extraordinarium*, quod R. P. pro arbitrio suo in quibusdam majoribus sollemnitatibus vel Ecclesiae necessitatibus concedit: quod etiam quandoque indulgentia *ad instar jubilaei* nuncupatur. (1)

(1) Regulas juridicas hodie in Jubilaeo servandas statuit eruditus Pontifex Benedictus XIV pluribus Bullis quas occasione Jubilaei anni 1750, edidit. Has regulas servandas esse in Jubilaeis tum ordinariis, tum extraordinariis, modo Bullae Jubilaei iis non derogaverint, respondit S. C. Indulg. 15 Martii 1852. His regulis Benedicti XIV prorsus conformes sunt Bullae quas SS. DD. N. Leo

Inter has duas jubilaei species discrimen quoque viget quoad condiciones praescriptas. Pro jubilaeo enim ordinario generatim nihil aliud praescribitur nisi confessio, communio et ecclesiarum visitatio; pro extraordinario praeterea requiruntur jejunium et eleemosyna. De harum condicionum executione valent pleraque quae n. 404 seqq. de generalibus condicionibus ad lucranda quamlibet indulgentiam dicta sunt, ex. gr. quoad ordinem operum, statum gratiae, etc. Quamquam S. Alph. (n. 537) opinatur omnia opera ad lucrandum jubilaeum extraordinarium praescripta esse peragenda eadem hebdomada, omnino tuta est sententia contraria, quam secuta est S. Poenit. 6 Mart. 1865. (Bering. I. p. 483)

Tandem, dum jubilaeum extraordinarium simul Romae et in universo orbe celebratur, jubilaeum ordinarium prius per integrum annum, qui sanctus dicitur, Romae celebratur, deinde ad universum orbem extenditur in quo solet durare per sex menses a die factae a loci Ordinario publicationis computandos. Attamen, labente anno sancto, quidam fideles qui Romam pergere nequeunt, etiam alibi indulgentiam jubilaei ordinarii lucrari sinuntur, sicut in jubilaeo currentis anni 1900 indulsit Leo XIII Constit. *Aeterni Pastoris* d. d. 24 Oct. 1899. Summatim hoc favore gaudent:

1^o Omnes moniales (etiam lato sensu tales) iisve conviventes alumnae vel aliae mulieres jugiter inter monasterii seu conservatorii parietes degentes, puta earum ancillae.

2^o Anachoretae atque Eremitae "qui in continua, licet non omnimode perpetua clausura et solitudine deditam contemplationi vitam agunt."

3^o Qui carceribus detenti vel deportationis poenam luentes iter Romanum, durante anno sancto, instituere nequeunt.

4^o Qui infirmitate proprie dicta vel valetudine ex habitu imbecilla penitus impediuntur quominus Romam pergant, vel saltem sine gravi incommodo iter Romanum instituere nequeunt. His assimilantur senes qui jam *compleverint* septuagesimum aetatis suae annum.

Qui jam, durante anno sancto, lucrati sunt Jubilaeum, seu per iter Romanum, seu per hoc privilegium, possunt frui extensione quae sequenti anno ad universum orbem fiat. (Bened XIV, Const. *Benedictus Deus*)

412. II. Circa opera praescripta ad alterutrum jubilaeum lucrandum, haec praesertim attendi merentur:

1^o De confessione et communione.

a) Confessio in vigilia jubilaei facta non prodesset ad lucrandas

PP. XIII de Jubilaeo anno 1900 dedit et Monita e Constitutionibus Bened. XIV excerpta, quae a S. Poenit. edita sunt 1 Nov. 1899. De Jubilaeo fuse et erudite scripsit Loiseaux, *Traité canonique et pratique du Jubilé*.